Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 557
Quelle:
Copyright:

liquis etiam VI. *Psalmis* praefixum est. In medio vero praesentis Argumenti rudis conspicitur Pictura *Heriberti* habitu Episcopi d. pedum, s. librum tenentis, quem excipere velle videntur adstantes duae Mulieres velatae, quae Pictura, tacente licet *Epistola*, innuit, *Expositionem* hanc *Psalmor.* in gratiam duarum illarum Virginum *B.* et *Ju.* susceptam fuisse. Ipsa jam *Psalmi* I. explanatio sic incipit: *Domine ne in furore tuo arguas me. Uides quam bonum principium. quam affectuosum. quam gratie plenum. In eo enim quod dominum eum uocauit. quod sui iure misereri deberet ostendit. Dominorum enim est seruos alere. non negligere. delinquentes corrigere. non necare. fugientes requirere non abdicare.* Vel ex hoc principio bonam spem de toto Commentario concipias, qui literae inhaereat, neque Mystica et Allegorica intemperanter consectetur. Finit is in pia precatione: *Bone iesu uerbum patris. splendor paterne glorie. in quem desiderant angeli prospicere. doce me facere uoluntatem tuam. ut a spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perueniam ciuitatem. ubi est dies eternus* &c. quae in *Soliloquiis* et *Speculo* olim *Augustino* tributis sparsa leguntur.

VI. *fol.* 58. p. 2. absque Inscriptione sequuntur ejusdem *Heriberti* ad easdem Virgines *B.* et *Ju. Epistolae* V. quarum dabo rationem. *Prima* incipit: *Dilectionis uestre scripta perlegentes. et melliflua sermonis uestri dulcedine animam nostram recreantes* &c. expetit literas, promittit memoriam, pie monet. *Secunda: Innumerabiles occupationum mearum molestię et grauissimi tempestatis huius labores* &c. Solatur se et illas intuitu aeternorum et finit: *Et quia non possum amplius pati cremonensium aduersum me querimoniam. oportet me properare cremonam. Valde namque conqueruntur. quod post preceptum domini pape non eos inuiserim. et quę ibi sunt corrigenda. nequaquam correxerim.* Nihil de hoc negotio apud Scriptores *Cremon.* inveni. *Tertia: Si cuncta mei corporis membra uerterentur in linguam* &c. Tota argumenti ascetici. *Quarta: Scriptum est in salomone. Labia iustorum. stillant gratiam* &c. Consonat priori. *Quinta: Suauissima scriptorum uestrorum refectio. et operis nostri merces geminata* &c. Pariter pia; hic vero de se: *Nunc cum me undique sollicitudines excrutient. terrores angustent. aduersa deterreant. prospera extollant. nihil dignum uobis ualeo meditari.* Et in fine: *Ego quidem multis regis* (Conradi?) *supplicationibus coactus alpes transire proposui. sed propter equorum laborem per uos transire nequaquam presumpsi. Hec itaque pauca inter ipsas curarum et occupationum procellas. fenerator uerbi uobis conscripsi. tempore quo absens fuero uobis ruminanda. — Valete maxima spes animę meę et in marina iturum discrimina orationibus me uestris liberate.* Ultima igitur haec fuerit *Heriberti*

pere-